adversario armatur obsiste, ut postquam viceris coroneris. Fateor imbecillitatem meam, nolo spe pugnare victoriae ne perdam aliquando victoriam; si fugero, gladium devitavi; si stetero, aut vincendum mihi est aut cadendum; Quid autem necesse est certa dimittere et incerta sectari? Aut scuto aut pedibus mors vitanda est; Tu qui pugnas et superari potes et vincere. Ego cum fugio, non vincor in eo quod fugio, sed ideo fugio ne vincar; Nulla securitas est vicino serpente dormire. Potest fieri ut me non mordeat, tamen potest fieri ut aliquando mordeat; Matres vocamus et sorores et filias et non erubescimus vitiis nostris nomina pietatis obtendere; Quid facit monachus in cellulis feminarum? Quid sibi volunt sola et privata colloquia et arbitros fugientes oculi? Sanctus amor impatientiam non habet. Quod de libidine dicimus, referamus ad avaritiam et ad omnia vitia quae vitantur solitudine, et idcirco urbium frequentiam declinamus ne facere compellamur quae nos non tam natura cogit facere quam voluntas; Haec ut dixi sanctorum presbyterorum rogatu unius noctis lucubratione dictavi, festinante admodum fratre Sisinnio et propter sanctorum refrigeria Aegyptum ire properantem; Alioquin et propria materia

XXXIIII

apertam habuit blasphemiam, quae indignatione magis scribentis quam testimoniorum multitudinem flagitaret; Quod si dormitantius in me dum rursum maledicta vigilaverit et eodem ore blasphemo quo apostolos et martyres lacerat, de me quoque putaverit detrahendum, nequaquam illi brevi lucubratiuncula sed tota nocte vigilabo et sociis illius, immo discipulis vel magistris, qui nisi tumentes uteros viderint feminarum, maritos earum Christi ministerio arbitrantur indignos;

## HIERONIMUS AD OCEANUM

## DE VITA CLERICORUM

SOFRONIUS EUSEBIUS HIERONIMUS OCEANO suo salutem. Deprecatus es ut tibi breviter exponerem qualiter debeant clerici vivere. Hinc me plerique maledicta et emulis praestolantur, quia non sileo veritatem; Tamen mihi carissime ex apostolo sumamus exordium; sic enim ait; humanus sermo et omni acceptione dignus; Si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat; Oportet ergo episcopum inreprehensibilem esse, sobrium, pudicum, benignum, ornatum, hospitalem, docibilem, non percussorem sed modestum, non litigiosum, non vinolentum, domui suae qui bene praeest

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG · BLB Badische Landes-Bibliothek · HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen · UNESCO Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation · Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991

© Badische Landesbibliothek

http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/blb_augperg105/0244